



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



40 Diss. 3709 (21)

21.

DISSERTATIO
DE JURE NATURAE.

CUM

SELECTIS POSITIONIBUS

EX

VNIUERSA THEOLOGIA

HISTORICO - DOGMATICA

VERAE CHRISTI ECCLESIAE,

PUBLICAE DISPUTATIONI EXPOSITA

IN CONUENTU PP. FRANCISCANORUM AMBERGENSI,

PRAESIDE

P. F. CANTIDIO PERGMAISTER,
SS. THEOLOG. LECT. ORDINARIO,

DEFENDENTE

P. F. REUERIANO DONHAUSER,
EIUSDEM ORDINIS, ET STUDII.

Biblioth.

Veralt.

DIE 6 AUGUSTI, ANNO MDCCLXXVI.



TYPIS KOCHIANIS.

40 Diss.

DE J

SE

VNIU

VERA

IN CONUE

P. F. CAT

endorb SS.

og, mndov

P. F.

Biblioth



4^o Diss. 3709 (21)

31.

DISSERTATIO
DE JURE NATURAE.

CUM

SELECTIS POSITIONIBUS

EX

VNIUERSA THEOLOGIA

HISTORICO - DOGMATICA

VERAE CHRISTI ECCLESIAE,

PUBLICAE DISPUTATIONI EXPOSITA

IN CONUENTU PP. FRANCISCANORUM AMBERGENSI,

PRAESIDE

P. F. CANTALDIO PERGMAYER, S.S. THEOLOG. LECT. ORDINARIO,

DEFENDENTE

P. F. REUERIANO DONHAUSER,

EIUSDEM ORDINIS, ET STUDII.

Biblich.

Verat.

DIE 8 AUGUSTI, ANNO MDCCLXXVI.



TYPIS KOCHIANIS.

Nro. 304.

Dissertatio de Jure Naturae, et Positiones Theologicæ.

Inprimantur.

Registr. fol. 66.

Signat. München in dem churfürstl. hoch-
löbl. Büchercensur - Collegium den
17. Jul. 1776.

Frantz Xaveri Graf.

ADPROBATIO ORDINIS.

Dissertationem de Jure Naturae vna cum Parergo Thesium ex
vniuersa Theologia historico - dogmatica a duobus
censoribus Ordinis nostri reuisam, et adprobatam, ego
quoque typis edi posse permitto.

Datum Vohburgi 30. Junii, 1776.

(L.S.)

Fr. EDMUNDUS SCHMAUS,
Minister Prouincialis mpr.

DISSERTATIO DE JURE NATURAE.



CAPUT I.

EXSISTENTIA JURIS NATURAE.

§. I.

Juris naturalis existentiam sacra, (§.V.) et profana ipsorum etiam Ethnorum testatur auctoritas. *Omnes conveniunt, aliquid naturaliter esse commune, iustum, et iniustum, inquit Aristoteles. a)* Et iuxta Auctorem Paraphrasis moralis apud Nicomachum *b)* inter homines aliquod Jus immobile est, quod naturae dicitur. Zeno quoque apud Ciceronem *c)* naturalem legem divinam esse censet, eamque vim obtinere, recta imperantem, prohibentem contraria.

Existentia
certa ex
auctorita-
te,

§. II. Certam subponunt, atque indubitatam Juris naturalis existentiam, quotquot insignes, totidem ferme omnes Theologiae, et Juris utriusque Doctores, quorum adhuc exstant, et indies crescunt in libris legendi ardentissimi confiat ad explorandum Juris naturae principia, essentiam, finem ultimum, materiam, obiectum, debitam observantiam, rectam discendi, docendique methodum, vtilem applicationem cet.

et labore
Doctorum:

§. III. Pro existentia Juris naturae evidentius persuadenda ad ipsum sensum communem provocamus securi. Fingant pace nostra, qui velint, statum existere naturae humanae naturalissimum, sine omni revelatione divina, sine omni lege positiva, et sine vilo Superiore humano. Manifeste quivis sanae mentis homo in isthoc fictitio statu hypothetice constitutus, quamprimum existentis Dei claram adprehenderet ideam, per immutabiliter necessariam, atque ineluctabilem prolixius consequentiam nolens, volens cogeretur inferre: *Ergo ex naturaribus titulis creationis, et conservacionis, et inahdicabilis super omnia domini Dei auctoris naturae, a quo in fieri, esse, conservari, omnique excogitabili bono, ceu ab ultimo sine meo absolute necessario mea omnis vera, suprema, et ultima indispensabiliter dependet felicitas, sum incredibilis Eiusdem servus, et debitor. Sed si hoc: Ergo secundum omnes commissiones, et omissiones meas totum ex totis viribus recte constituere me debeo ad Deum Auctorem naturae, suae meum finem ultimum absolute necessarium. Jam ex hoc supremo principio intrinseco Juris naturae speculatio (§. XXV.) talis homo necessario, et immediate descenderet ad inferendum primum totius Juris naturae intrinsecum principium practicum: (§. XIX.) Ergo ex manifesta, atque immutabili lege naturae (§. XXV.) contestari teneor Bonitatem Dei infinitam per actus amoris Dei ex totis viribus: Ex isto autem principio practico necessario principiari debet coeteras naturae leges practicas omnes, et officia inde Deo, et Proximo, sicut sibi ipsi propter Deum debita, (§. XIX.) velut: Ergo contestari teneor Dei amorem erga creaturas omnes infinitum per charitatem Proximi, sicut mei ipsius propter Deum, utpote non meae rei, sed pretiosae imaginis propriae Dei: Dominium supremum per inlimitatam obedientiam, et observantiam legum divinarum: Sanctitatem*

ex sensu
communi
omnium,

tatem per actus placitae religionis, et culturam mel. ac eorum, quorum mihi interest, in implandis sanctis moribus: Misericordiam per actus spei in Deum, et misericordiae erga Proximum egentem: Largitatem per actus gratitudinis erga Deum; per diligentem adplicationem omnium corporis, et animi facultatum; atque per honestum usum quarumcunque creaturarum, sine abusu cedente in iniuriam, et contra finem Creatoris: Justitiam per actus timoris Dei, et fidelitatis, omnique iustitiae erga Proximum cet. En! sic enarraret leges naturae homo, etiam in fictio statu naturae purae constitutus.

et singulorum intimo.

§. IV. Praeterea etiam sensus singulorum hominum intimus huic subscribere cogitur veritati. Aut quibus aliis ex caussis, quam ex ipsa practica violati Juris naturae existentia aduertentia malitiosi quidam homines instantaneum sentiunt intimae conscientiae suae remorsum? Vnde pudorem, tristitiam, atque dolorem de malo in occultissimis etiam angulis commisso? Dum econtra iusti de bono, vt vt clam facto, testimonium obseruant bonum in cordibus suis: quietem animi gustant: gaudium percipiunt, et consolationem. Effectus hi sunt innegabiles existentis Juris naturae, ab istis quidem caute custoditi, ab illis autem temere violati.

CAPUT II. CONDITOR JURIS NATURAE.

§. V.

Conditor
Deus,

Deus hominum auctor simul Juris naturae est conditor. Veritatem hanc testatur Lyranus a) ipso etiam diuini Oraculi signatam esse sigillo apud Prophetam regium b) dicentem: *Signatum est super nos iumen vultus tui Dominus.* Testimonium clarius profert Apostolus, c) dum ait: *Qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se inuicem cogitationibus accersantibus, aut etiam defendentibus in die, quum iudicabit Deus occulta hominum.* In id ipsam consentiunt passim Doctores cum D. Augustino (§. X.) grauissimi. Certe iam Zeno, vt vt Ethnicus, (§. I.) Deum fatebatur Juris naturae esse conditorem.

solus,

§. VI. Concordat ad praesens sana cuiuslibet ratio. Enimvero Lex quaecunque essentialiter est *ordinatio Superioris*: Igitur Lex naturae, quoniam *vniversalis* est, vniversam inmutabiliter obligans naturam humanam, necessario est *ordinatio solius Superioris vniversorum hominum*, qui est solus inmutabilis Deus. Et certe non est potestas, nisi a Deo: d) Sed potestas creata, quae est a Deo, certo non est, nisi ad condendas leges *contingentes*, et *mutabiles*, secundum exigentiam circumstantiarum contingenter, et mutabiliter existentium; ad leges condendas est mere *particulares*, pro aliquibus duntaxat subditis, intra certam praecise Ecclesiam, aut regnum particulare degentibus: igitur, quia leges naturae omnes sunt absolute necessariae, inmutabiles, et vniversales, eas condendi potestas non est creata alicuius hominis, sed increata solius Dei.

nulla
creatura.

§. VII. Aut quod denique est nomen creaturae illius, quae supremus fit Juris naturae Legifer? Angeli ob praerogatiuam immortalitatis antecedunt quidem nos mortales dignitate naturae, ex nullo autem titulo Superioritatis nos sibi subiiciunt potestate iurisdictionis. Ratio humana verax est praeco primum Juris naturae principiorum: (§. IX.) Pars hominis praeclara est, sed tamen ancilla, aut, si praepacet, consiliarius suae voluntatis liberae, nunquam Superior,

a) In Psalm. 4. v. 7. b) Psalm. cit. c) Rom. 2. v. 15. d) Rom. 13. v. 2.

rior, et Legifer eiusdem sibi subditae. Voluntas, siue priuata hominis cuiuslibet, siue publica Communitatis, est ipsissimus Juris naturae subditus, et executor, nullatenus conditor. Materia Juris naturae suam necessitatem habet ab infinitis perfectionibus Auctoris naturae: ex se ipsa uero nil aliud est, quam cuiuslibet Legis naturalis suum subiectum, et praedicatum, secluso uerbo substantiuo. Obiectum Juris naturalis sunt actus nostri contingentes ab eo praecipiti. Haec omnia, et si quid aliud ex omnibus creaturis conditor fingitur Juris naturae, aut sub huius imperio sunt, aut sine naturali iurisdictione in hominem, sunt cum homine ex iisdem titulis creationis, conseruationis cet. sub naturali Jure Dei. Creatori iniuriam facit, qui aliquam creaturam uult totius naturae humanae esse naturaliter Superiorem, ut Deum neget esse Juris naturae Conditorum.

CAPUT III.

PROMULGATIO JURIS NATURAE.

§. VIII.

Propria singulorum hominum ratione uisa est diuina Prouidentia ad promulgandum nobis Jus naturae. Cordibus nostris digito suae diuinae potestatis illud inscripsit teste Apostolo, (§. V.) ut, quoties aliqua lex uiget naturae, toties sua cuiuslibet ratio praesto sit ad legis simul agendum praeconem existentis, et exhortatorem implendae. Certe homo obligationum profusus impatiens, cognoscendi Juris naturae adminicula, leges positiuas, sana consilia contemneret, sus deque uerteret omnia, nisi sua cuius ratio, superno confortata lumine necessarias identidem commendaret naturae leges, atque earum fortiter inculcarent obseruantiam, ut uoluntas in omnem prona uiuendi licentiam his insuper habentis efficacius contineatur in officio.

§. IX. Porro prima Juris naturae principia tam clare, et euidenter Deus nostris imprimit cordibus, ut ea nobis ratio praelegat, ceu propositiones *immediate per se notas*, et propterea nullus homo ratione praeditus inuincibilem eorum habere queat ignorantiam. Ratio manifesta est ex dictis. (§. III.) Praeterea, si neque prima Juris naturae principia certo sciremus, et euidenter, tunc multo minus sic cognosceremus Leges naturae inferiores, utpote quas arduo labore ex illis primum eruere necessum est: (§. XI.) sed certo, et euidenter scimus saltem aliquas leges naturae inferiores: (§. III.) Igitur multo magis eorum principia. Et si haec non sciremus, tunc profecto ob sufficientis promulgationis defectum, et ex eo consequentem nostram inuincibilem ignorantiam debiligati essemus ab obseruantia totius Juris naturae, quod est manifeste contra Apostolum. (§. V.) Dein Bonitas, Sapientia, Prouidentia, et Justitia Dei nequit permittere, ut dubia, et obscura istorum principiorum in homine detur notitia, in quo est certa, et euidens (§. III.) obligatio naturalis ad trinae charitatis officia ab ipsis immediate praescripta. Igitur clara, et euidens est notitia primorum Juris naturae principiorum, et solum hucusque non est certo, et euidenter exploratum, quodnam sit ex omnibus Juris naturae principiis supremum speculatiuum. Verum huius scientia est tantum utilis ad perfectam Jurisprudenciae naturalis theoriam, non necessaria ad praxin, siue ad debitam Juris naturae obseruantiam. Ad hanc sola sufficit (§. III.) clara, et euidens, etiam *sine ordine*, notitia primorum Juris naturae principiorum.

Promulgatio diuina,

euidens
quoad
principia
practica,

§. X.

et conclu-
siones pro-
ximas

§. X. Sed neque illas conclusiones generales, siue leges naturae superiores, quae proximius, et immediatius ex supremis hinc deducuntur principiis, inuincibiliter ignorare potest ratio nostra. Hoc ipso enim, quia proxime continentur in praedictis suis principiis, *immediate per se notis*, statim primo intuitu, ex sola terminorum adprehensione, absque multo discursu ex ipsis euoluuntur. Maxime etiam, quia horum principiorum ad eruendas tales conclusiones applicatio nullo modo dependet a conditionibus, factis, et circumstantiis particularibus, per se obscuris, incertis, aut omnino falsis. Vnde Apostolus dicit: a) Romanos, clara Dei existentis notitia per lumen rationis semel instructos, esse *inexcusabile*, quia, cum conuouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Et S. Augustinus: b) *Lex tua, Domine - - scripta est in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim sur aequo animo furem patitur? Nimirum sicut ex lege amoris erga Deum legem naturalem glorificationis, et gratitudinis, atque officia Deo inde debita, ita ex lege amoris erga Proximum legem naturalem non furandi per naturale lumen rationis clare, et immediate concludimus. Aut quis, praeter insipientes, ignorat ex lege charitatis Deo debitae illico inferre obedientiam, timorem, honorem, gratitudinem, spem, aliosque actus Religionis similiter debitos? (§. III.) Certe sciunt omnes ex isthoc principio: Quod tibi vis fieri, etiam alteri facias. immediate sequi: Ergo cuiuslibet suum ius in bonis vitae, et membrorum, famae, et fortunae relinquant integrum; damnum inuito datum compensa; debitum soluit: commodatum restitue cet.*

obscura
quoad re-
motas,

§. XI. At contra potest inuincibiliter ignorari mala deductio, et falsitas conclusionum particularium, et aliarum, quae remote tantum et mediate ex primis principiis Juris naturae eruuntur, et infimarum naturae legum rationem participant. Experti hoc saepius sunt Viri insignes, quorum aliqui optima fide conclusiones docuerunt sat multas, Juri naturae contrarias, et propterea ab Ecclesia proscriptas, quas tamen per inuincibilem ignorantiam opinabantur legitime ex illis fuisse deductas. Subpetit insuper ratio: quia tam recta horum principiorum applicatio, utpote duntaxat remota, et mediata, quam veritas huiuscemodi conclusionum communiter pendent a certis particularibus factis, conditionibus, circumstantiis cet. respectu nostrum per se obscuris, dubiis, aut omnino falsis. Totum declaratur duobus exemplis ex mala applicatione huius principii practici Juris naturae iustitiarum: *Cuique suum in bonis vitae, et fortunae. Nullus ponens actionem omni iure permissam potest licite occidi: omnis furans in graui necessitate ponit actionem omni iure permissam: Igitur nullus furans in graui necessitate potest licite occidi. Malitia huius applicationis, et subsequens inde falsitas conclusionis potuit saltem ante damnatam propositionem mediam c) inuincibiliter ignorari. Item: Omnis possessor rei alienae tenetur facere restitutionem: Petrus est possessor rei alienae, v. g. domus meae: Igitur Petrus tenetur mihi domus meae facere restitutionem. Si propositio media, quae est in materia contingente, ponitur, me inuincibiliter ignorante, falsa esse, dicor inuincibili laborare ignorantia malae applicationis, et falsae conclusionis particularis, ex praedicto principio Juris naturalis practico deductae.*

ex S. Auc-
toritate in-
uestigan-
das.

§. XII. Porro ignorantiae huiusmodi radix est peccatum originale. Nequit proin ex eo plurimum debilitata ratio hominis se sola voluntati fidelem, et vtilem totius Juris naturae praekonem agere. Turpissimam manifestae inprudenciae, et temeritatis notam incurrit, qui Verbi Dei scripti, et traditi, atque

a) Rom. i. v. 20. b) Libr. 2. Confess. c. 4.

c) Inter propositiones ab Innoc. XI. anno 1679. damnatas ord. 36.

Infalibilis Ecclesiae oracula, quae sunt principia extrinseca Juris naturae indicatiua, quoad controuersas de Jure naturae materias negligit, aut omnino leui ab se sensu reiicit, et sola contentus sua ratione fallibili, viam deserit veritatis, et salutem certam, atque securam, et contra dubiam, ac manifeste periculosam incedere praesumit in discendo, vel etiam docendo Jure naturae, vt expeditius periculoso sui priuati spiritus possit indulgere pruritu.

CAPUT IV.

ESSENTIA JURIS NATURAE.

§. XIII.

Jus naturae est Summa certarum legum necessariorum, quas Conditor Deus (§. V.) cordibus nostris inscripsit. (§. VIII.) vt per debitam earum obseruantiam simus recte constituti ad Deum finem ultimum (§. XXVIII.) absolute necessarium. (§. XXIX.) Porro Jus naturae, siue leges naturales ideo dicuntur tales, quia ex titulis pure naturalibus creationis, conseruationis, seruitutis, et dependentiae nostrae (§. XXIX.) naturauiter quemuis hominem insequuntur, et obligant, et quidem necessario, ac immutabiliter pro quouis hominum statu, etiam naturalissimo, absque villo nexu absolute necessario cum supernaturalibus.

Essentia.

§. XIV. Iustitia naturalis est virtus moralis, voluntatem inclinans ad reddendum ex alio qua lege naturali cuius quodammodo suum, Deo videlicet, et Proximo, sicut sibi ipsi propter Deum, vt sic in officiis suis recte constitutus sit homo ad Deum suum absolute necessarium finem ultimum. dictum est: quodammodo suum. Et non fuit dictum: cuius stricte suum; Iustitia enim naturalis non est virtus specialis, voluntatem inclinans ad solos actus iustitiae rigorosae erga Proximum, debitos ex solis legibus Juris naturae iustitiarum, quod nullam, nisi perfectam admittit aequalitatem inter ius proprietatis actiuum creditoris, et passiuum debitoris, sed est virtus generalis, voluntatem insuper excitans ad actus religiosos Deo ex Jure naturae ecclesiastico, et ad morales sibi ipsi ex Jure naturae morali debitos. Atque hoc modo sentire debent omnes ii Juris naturalis Doctores, quotquot primam, vel omnino trinam legem charitatis pro supremo statuunt Juris naturae principio practico, (§. XX.) et ex ea triplex hominis officium naturale deducunt: primum erga Deum in genere Religionis: alterum principaliter, et immediate erga se ipsum in genere morum: tertium principaliter, et immediate erga Proximum in genere iustitiae rigorosae.

Iustitia.

§. XV. Juris naturae prudentia est notitia legum naturalium, hominem dirigens ad reddendum ex ipsis cuique quodammodo suum, Deo videlicet, sibi ipsi, et Proximo propter Deum, vt sic in officiis suis sit recte constitutus ad Deum suum absolute necessarium finem ultimum. Est autem haec facultas prorsus indistincta a Theologia naturali, et ab Ethica. Enimvero prout facultates istae sunt speculatiuae, Deum contemplantur, et diuinas, quantum licet, Perfectiones considerant, nostrarum actionum concordandarum prototypas: Hominis in fieri, esse, et conseruari a Deo, suo fine vltimo absolute necessario essentialiter dependentis meditantur titulos, obligationes, et officia. (§. III.) Atque idcirco etiam legum naturalium principia speculantur: (§. XIX. §. XXV.) Necessitatem, materiam, finem, debitam obseruantiam cet. explorant, vt contingente praxi citra erroris periculum hominem edoceant iustitiam, bonitatem et honestatem; ex Jure naturali debitam, in suas deri-

Prudentia.

deriuare actiones. Prout autem scientiae istae sunt practicae, vnam ordinarie numero actionem hominis, secundum idem numero principium, et praeceptum Juris naturae, ob eundem numero finem proximum operis, et operantis, ad eundem numero finem vltimum ordinant: Igitur vna, eademque numero generalis agendi ratio sunt *iustitia*, *bonitas*, et *bonestas*: Sed si rationes formales agendorum inter se non distinguuntur, tunc certe etiam eorum scientiae ab iniuicem non differunt. Plane excogitari nequit actio humana naturaliter *iusta*, quae non sit hoc ipso simul, et semel naturaliter *bona*, et *bonesta*: nec vicissim prouocari potest ad actionem naturali ex lege *bonam*, vel *bonestam*, quae non sit hoc ipso naturaliter *iusta*. Certe non minus *bonitas*, et *bonestas*, quam *iustitia* cui libet actui humano inesse praecipitur a Jure naturae. Iustitiae resistit, qui ideo has inter se facultates distinguit, vt expeditius in docendo Jure naturae praescindere possit ab eiusdem fine vltimo, (§. XXVIII.) sacra auctoritate, debita in hoc naturae eleuatae statu obseruantia, studio, adplicatione cet.

CAPUT V.

PRINCIPIUM JURIS NATURAE.

§. XVI.

Principium

Pincipium est id, ex quo quid aliquo modo fit. Diuiditur in causale, quod alii *constituens*, *constitutum*, *effectiuum*, vel *essendi* nominant, estque Juris naturae conditor Deus. (§. V.) Et in *indicatum*, quod leges naturales indicat, et cognoscere docet; vnde etiam principium *cognoscendi* dicitur. Hoc denuo diuiditur in *extrinsecum*, et in *intrinsecum*. *Extrinsecum* non est aliqua lex naturae, sed aliud principium certum, extra totum Jus naturale existens, fideliter tamen obscuriores naturae leges nobis indigitans, nimirum sacra Auctoritas.

intrinsecum

§. XVII. *Intrinsecum* Juris naturae principium est suprema eiusdem lex. Ita Doctorum in eo statuendo conclamantium vox vna: *Suprema lex esto!* Porro etiam hoc principium duplex est, vnum *speculatiuum*, quod est *suprema*, et communis omnium ex Jure naturae agendorum ratio *speculatiua*, (§. XXV.) omnes, et solas leges naturae inferiores, tam *speculatiuas*, quam *practicas* sub se continens, indicans, et a *positiuis* *speculatiue* distinguens. Alterum est *practicum*, quod est *suprema*, et *finalis* omnium ex Jure naturae agendorum ratio *practica*, (§. XIX) vnde omnes, et solas leges naturae inferiores *practicas* sub se continet, indicat, atque a *positiuis* *practice* distinguit.

in rigore

§. XVIII. In rigore, et ex communi subposito, atque sententia Doctorum loquendo, vtrumque hoc Juris naturae principium *intrinsecum*, tam *speculatiuum*, quam *practicum* debet esse I. *lex suprema* Juris naturae, illud *speculatiua*, istud *practica*, vt antea dictum, adeoque etiam vna, quia hic de principio Juris naturae supremo, omnes leges naturales *practicas* principiante, quaeritur, non vero de aliqua lege inferiore principiata. II. Debet esse *adequatum*, id est, debent ex eo per *particulam inlatiuam* *Ergo* cum *necessaria* *consequentia* deduci posse omnes leges naturales inferiores, quia *secus* non foret earum principium *supremum* principiatis: Et simul debent in istud denuo posse resolui per *particulam causalem* *Quia*; ex qua enim *caussa* aliquid fit, in eandem iterum resoluitur. III. Debet esse *distinctiuum*, id est: leges naturae omnes debent ex eo cognosci posse vt *distinctae* a legibus *positiuis*, et

a con-

a consiliis, ita, vt haec omnia neque ex eo per particulam Ergo deduci, neque per particulam Quia in illud resolui possint. IV. Debet esse verum, certum, et clarum; ex falso quippe, dubio, et obscuro non nisi falsae, dubiae, et obscurae principiarentur leges naturae. V. Verum denique, et certum finem vltimum omnium ex Jure naturae agendorum sufficienter exprimat, necesse est; nec enim homo suam captiuaret libertatem in lege, si necessitatem captiuandi prius non demonstraret ex fine. Hinc communiter dicitur: *Quidquid agis, prudenter agas, et respice finem.*

§. XIX. Pro principio supremo intrinseco practico omnium omnino legum naturae practicum
 practicarum conuenientissime potest statui lex amoris erga Deum, vt finem vltimum hominis absolute necessarium; Sic enim considerata charitas Dei est I. maximum, et primum mandatum a) II. Est adaequatum; ex intellecta enim sola hac lege: *Deus hominum finis vltimus absolute necessarius (§. XXIX.) est diligendus ex tota mente, legitime, et necessario infertur: Ergo Deus est etiam colendus, timendus cet. Item: Ergo etiam Proximum, sicut me ipsum diligere debeo propter Deum; quia ego, et Proximus meus non sumus res iuris mei, sed sumus res propria, et imago pretiosa Dei.* Ex legibus autem charitatis erga se ipsum, et Proximum sequi coeteras leges inferiores omnes Juris naturae moralis, et iustitiarum, (§. III.) nemini dubium est. Similiter etiam omnes leges naturales practicae in hoc suum principium resoluuntur; Si enim quaeritur: *Quare Deus est colendus, timendus, cet. R. Quia Deus (infinite bonus, iustus, finis vltimus cet.) est ex tota mente diligendus.* Item si quaeritur: *Quare res proprias, et pretiosas imagines Dei, Proximum nempe, sicut me ipsum amare debeo? R. Quia amare debeo Deum, quem plane non amarem, si res proprias, et pretiosas imagines Dei Proximum, sicut me ipsum non diligerem propter Deum.* Et quidem resoluuntur leges naturales practicae omnes in hoc nostrum principium vltimato. Si enim vltterius quaeritur? *Quare Deus est ex tota mente diligendus?* certe vltterior nequit dari ratio ex aliqua lege naturali practica superiore, sed aut responderi debet per nostrum principium speculatiuum, (§. XXV.) aut necesse est exire ex toto Jure naturae, et dicere: *Quia Deus est titulus sui supremi, et inabdicabilis Domini, nostrae creationis, conseruationis, seruilitus, dependentiae cet. sic ordinare sapientissime sciuit, providentissime potuit, et necessario voluit.* III. Est distinctiuum per to: *absolute-necessarium, (§. XXIX.)* IV. Est verum, et certum ex ipso Christi testimonio, paulo ante relato; clarum autem est ex ipsis terminis, et quoad vltima verba: *finem vltimum NB. absolute necessarium* adhuc clarius fiet ex infra dicendis. (§. XXIX.) V. Verum et certum exprimit omnium ex Jure naturae agendorum finem vltimum. (§. XXVIII.) VI. Denique est practicum; non speculatiuum, quia habet, praecipit, et practice dirigit suum obiectum particulare proprium, vtputa actus amoris erga Deum, in quos practice influit suam propriam rectitudinem specificam, siue particularem agendi ex charitate rationem. Atque ideo etiam se solo obseruari potest, aut violari, quin idcirco alia quaecunq; lex naturae practica concomitanter obseruari debeat, aut violari, quamuis ex eo, quia sua ratio agendi ex charitate specialis, est simul ratio suprema, et finalis omnium ex Jure naturae agendorum practica, ipsum toties insuper etiam obseruetur, vel violetur concomitanter, quotiescunq; alia lex naturae inferior obseruetur, aut violatur seorsim.

§. XX. Si quis autem contendit, quamlibet ex praedictis legibus trini amoris esse principium practicum Juris naturalis partiale, parum euincit. Sit, quod lex amoris erga Deum immediate principiet leges Juris naturae Ecclesiastici: lex

B

amo-

a) Math. 22. v. 37.

amoris erga se ipsum leges Juris naturae moralis, et denique lex amoris erga Proximum leges Juris naturae iustitiarum, atque in hoc sensu posteriores duae leges charitatis sint principia inferiora legum naturalium erga se ipsum, et Proximum, nihilominus tamen adhuc verum manet, (§. III. §. XIX.) quod hae duae posteriores leges sint leges principiatæ a lege charitatis erga Deum tanquam omnium practicarum suprema, de qua sola hic quaeritur.

Specula-
tium

§. XXI. Fortior est Sententiarum collisio circa principium intrinsecum Juris naturae speculativum. Ad tres classes reduci possunt omnes. Prima illud petit ex vna legum naturalium obligantium erga se ipsum: altera ex vna obligantium erga Proximum: tertia ex vna obligantium erga Deum. De qualibet classe vnam, eamque principaliorem sententiam referemus, et talibus conabimur refutare argumentis, quae facile adplicari poterunt ad infirmandas leuioris momenti opiniones aliorum, velut Hobbii, Wernheri cet. et praesertim stantium pro ratione, huius saeculi idolo, deliriorum omnium Auctore, ac monstro iudice supremo agendorum, et credendorum in materiis fidei, et morum, dudum e dyptichis christianae doctrinae eraso, qui profecto nec extremis quidem labiis attingunt notionem primi principii intrinseci speculativi, cum istud sit suprema inter ipsas naturae leges, (§. XVIII.) ratio autem duntaxat earum extrinsecus praeco (§. XII.) per se esse fallibilis. Itaque

contra
Wolfium,

§. XXII. Ad primam classem pertinet principium Leibnitii, et Wolfii: a) *Fac eo, quae naturam tuam perficiunt.* Displicet hoc principium: quia I. non est lex naturae, sed conceptus generalissimus omnium legum tam naturalium, quam positivarum, omniumque consiliorum, etiam euangelicorum, nam horum omnium obseruantia humanam perficit naturam. II. Hoc ipso etiam nequit distinguere leges naturales a positivis. III. Neque est clarum, nequit enim inuestigari, quid Wolfius intellexerit per perfectiones. Ait quidem: b) *Perfectio est entis in genere consensus in varia, seu plurimum a se differentium consensus in vno.* Consensus autem est tendentia ad vnum quid obtinendum. Sed obscurum definit per obscurum. Aut quid nunc est perfectio? Quid consensus in vno? Quid tendentia ad vnum? Quid illud vnum quid? Paucis: quid praeter meram obscuritatem est totum, quod explicat Wolfius? IV. Hoc suo principio illustrissimus Wolfius aut nullum statuit finem vltimum omnium ex Jure naturae agendorum, aut venalem exposuit certissime falsum; si enim per suas perfectiones intellexit pure naturales, ceu finem vltimum, tunc plus, quam in suspicionem trahitur falso subpositi status naturae purae: si vero per eas quid aliud significare voluit, quaero: *Ob quem finem vltimum ex Jure naturae peragi debent ea, quae naturam hominis perficiunt?* Si propter Deum: cur de Deo tacens mancum nobis tradidit principium suum Auctore alioquin doctissimus? si vero propter aliquid creatum: manifeste falsum substituit finem vltimum hominis, et Juris naturae, (§. XXVIII.) omniumque ex eo agendorum.

Thoma-
sum,

§. XXIII. Ad secundam classem spectat principium Grotii, Puffendorffii, Thomasiai cet. c) *Fac ea, quae necessario conueniunt cum vita hominis sociali, et quae eidem repugnant, omite.* Hoc principium turpiter claudicat in plurimis: Quia I. non est suprema lex naturae principians, sed in aliquo sano sensu ipsummet principiat ex lege charitatis Proximo debita, quod nec ipse Puffendorffius negat. II. Non est adaequatum, quia non principiat leges naturae ecclesiasticas inmediate ad Deum. III. Non est distinctivum; quippe etiam leges positivae, et sana consilia vt plurimum vrgent vitam socialem, quin propterea sint leges naturales

IV.

a) *Instit. Jur. nat.* b) *Ibid.* §. LX. c) *Libr. I. c. IV. §. LXIV.*

IV. Non est verum; S. Joannes enim Baptista, alique SS. Eremitae viuentes sine socio violassent Jus naturae. Homo est quidem animal sociale, sed libertate potentiae, non necessitate actus. Praeceptum vitae socialis, generationis humanae cet. totam speciem humanam obligat, non singula eiusdem individua.

V. Substituit transitorium, atque hoc ipso falsum finem vltimum, nempe vitam socialem, medias inter fortunae spes per se decipientem. **VI.** Est periculosum Religioni, et Reipublicae; nec enim ex eo prohibita forent peccata occulta in Deum, et se ipsum: Liceret per illud clam occidere Principes, et Superiores vitae sociali, etiam praeter intentionem, nociuos, steriles, perpetuo amentes cet.

§. XXIV. Ad tertiam classem refertur illud quorundam pro diuinis Perfectionibus pugnantium: *Fac ea, quae diuinis conformia sunt Perfectionibus, et omitte contraria.* Multum dicit hoc principium, sed I. ad supremum non peruenit, quia resolutur in nostrum, (§. XXV.) et ex eo deducitur; valet enim haec resolutio: *Quare sunt ea facienda, quae diuinis conformia sunt Perfectionibus?* R. *Quia seruanda ab homine est recta constitutio ad Deum, suum finem vltimum absolute necessarium, quam tolleret, si ea faceret, quae sunt diuinis Perfectionibus dissimilia.* Valet etiam ista deductio: *Seruanda ab homine est recta constitutio cet. ergo ea ab ipso sunt facienda, quae sunt conformia cet.* II. Hoc ipso etiam non est adaequatum, quia sub se non comprehendit nostrum. III. Neque distinguit leges naturales a positiuis, et a consiliis, siquidem etiam horum obseruantia conformat actiones nostras cum diuinis Perfectionibus. IV. Non est clarum. Sciuntur namque plura peccata pugnare contra naturam, et tamen non scitur certo, et clare, cuius determinate repugnent Perfectioni diuinae.

§. XXV. Saluo meliore statuimus sequens principium supremum Juris naturae speculatiuum: *Esse recte constitutus ad Deum finem vltimum absolute necessarium.* Siue: *Fac ea, sine quibus non es recte constitutus ad Deum finem vltimum absolute necessarium.* Hoc principium est I. lex suprema totius Juris naturae; si enim quaeritur: *Quare quiuis homo debet esse recte constitutus cet.?* non potest per aliam legem superiorem responderi, sed necessario extra totam summam legum naturalium est exeundum, et dicendum: *Quia Deus auctor naturae sic ordinare sapientissime sciuit, prouidentissime potuit, et necessario voluit ex titulis sui inabdicabilis domini supremi, et nostrae creationis, conseruationis, seruitutis, dependentiae cet.* II. Est adaequatum, quia ex eo immediate principiantur tres leges amoris supremae practicae, (§. III.) et similiter in illud vltimato iterum resoluuntur. Si enim quaeritur: *Quare Deum ceu finem vltimum absolute necessarium debeo amare ex tota mente, et Proximum sicut me ipsum propter Deum?* immediatissima et vltimata ex Jure naturae ratio est: *Quia quilibet homo debet seruare legitimam constitutionem sui ad Deum finem vltimum absolute necessarium, quam temere tolleret, si Deum ex tota mente non amaret, et Proximum sicut se ipsum propter Deum.* III. Perfectionissime distinguit leges naturales tam a consiliis, quam a legibus positiuis, per tota absolute necessarium. (§. XXIX.) IV. Est adeo verum, certum, et clarum, vt ex ipsis etiam terminis intelligatur, (§. III. §. XXIX.) quod pro nullo statu naturae excogitabili possit mutari in falsum, dubium, et obscurum. V. Veris etiam certis, et claris verbis exprimit finem vltimum, et quidem vt contra distinctum a fine vltimo legum posituarum. (§. XXIX. VI. Denique est etiam principium speculatiuum, et non practicum per hoc, quia neque habet obiectum particulare sibi soli proprium, siue actus humanos a se solo regulabiles, neque habet, aut attendendam praecipit propriam reuerentiam particularem, siue praecipuum. id est talem, per quam ad normam legum naturae practicarum omnium dirigeret, informaret, et in certa virtutis specie constitueret aliquem actum humanum a se solo specialiter praecoptum. Sed tantum habet, et respicit obiectum vniuersale, nimirum vniuersalem natu-

naturam humanam. Insuper etiam habet rectitudinem, siue rationem formalem agendi ex Jure naturae similiter *uniuersalem*, siue *speculatiuam*, nimirum *rectam hominis constitutionem* cet. *uniuersaliter*, et in omnibus aequaliter cuius homini absolute necessariam, quam nunquam ipsum immediate per se in aliquem actum, sed solum, et semper aliqua lex naturae practica concomitanter toties in hominem influit, quoties actum aliquem humanum, siue obiectum particulare proprium secundum suam particularem rectitudinem propriam, v.g. *amoris, iustitiae, misericordiae* cet. practice dirigit. Vnde etiam fit, quod haec suprema totius Juris naturae lex speculatiua non possit sola, et seorsum obseruari, vel violari. Quamuis ob *uniuersalitatem* suae rectitudinis, *uniuersaliter*, et *finaliter* ab homine in omnibus seruandae, nequeat obseruari, aut violari aliqua lex naturae practica, quin non etiam semper illa concomitanter simul obseruetur, aut violetur.

CAPUT VI.

FINIS JURIS NATURAE.

§. XXVI.

Finis

Finis proximus, et immediatus est aliquod *bonum intermedium*, quod ideo intenditur, ut *orinetur ad consequendum bonum ultimatum*: Igitur finis ultimus est *bonum ultimum*, ad quod consequendum omnes fines proximi intenduntur, et ordinantur. Atque hinc nullum malum potest esse finis ex parte Auctoris naturae infinite boni: imo nec ex parte hominum, nisi cum addito *salus*. Respectu horum finis communiter dicitur etiam *ratio agendorum*; item *beatitudo, felicitas, bonitas* cet. vnde Philosophus ait: a) *Felicitas, cum agendorum finis sit, perfectum quoddam, ac sufficiens esse debere videtur, id, quod ab omnibus est concessum. Et Cicero: c) Cognitis rerum finibus, cum intelligitur, quid sit et bonorum extremum, et malorum, inuenta vitae via est, conformatioque omnium officiorum.* Nec mirum; datur enim in homine praeter adpetitum innatum, siue naturalem insuper rationalis, quo coeterae creaturae carent. Finis igitur ultimus hominum dicitur *ultimata agendorum ratio, et beatitudo, in cuius possessione adpetitus humanus plene, et finaliter satiatur, atque quiescit.*

proximus

§. XXVII Finis proximus, et immediatus Juris naturae est *regulare humanam naturam ad habendam rectam constitutionem, et charitatem erga Deum, finem ultimum absolute necessarium.* Hic quippe est finis immediatus, ob quem Deus Jus naturae immediate condidit: sed condidit illud immediate, vt imperio suo naturam humanam regulet ad habendam rectam constitutionem, et charitatem erga Deum cet. hunc enim, et non alium finem immediatum habent ipsa suprema principia totius Juris naturae: (§. XIX. §. XXV.) Igitur totius etiam Juris naturae finis proximus, et immediatus est, imperio suo regulare hominem ad habendam rectam constitutionem, et charitatem erga Deum cet. Certe totum Jus naturae principiat a suis summis principiis ex fine: Sed certe non principiat ab ipsis ex fine alio, quam ex ipsissimo suorum principiorum, vt nempe hominem suo imperio dirigat in officiis charitatis erga Deum, et erga Proximum, sicut se ipsum propter Deum, ad habendam rectam constitutionem, et charitatem erga Deum cet. Finis itaque immediatus totius Juris naturae est naturam humanam dicto modo regulare. Jus naturae imperium est, et necessaria regula naturae humanae, ceu subditi necessario regulabilis: Sed absolute repugnat imperii regu-

a) *Ethic. 7.* b) *Libr. 5. De finibus.*

regulantis aliam esse finem, quam subditi regulabilis: Igitur Juris naturalis, et naturae humanae idem omnino est finis: At vero immediatus finis naturae humanae est *recta constitutio*, et *charitas erga Deum* cet. quam secundum Jus naturae immediate habeat: Igitur etiam Juris naturae finis immediatus est eadem *recta constitutio*, et *charitas erga Deum* cet. ad quam hominem immediate dirigat.

§. XXVIII. Finis ultimus Juris naturae est *Deus ab homine amandus* mediante suo imperio, et directione; Finis enim ultimus est bonum ultimum, ad quod consequendum omnes fines intermedii intenduntur, et ordinantur: Sed totum Jus naturae ideo a Deo conditum est, et ideo hominem suo imperio regulat ad habendam rectam erga Deum constitutionem, et charitatem, *ut Deus ab homine ametur*: Igitur *Deus ab homine amandus* est finis ultimus totius Juris naturae, quo obtento omne imperium, et tota directio Juris naturae quiescit. Si primum, et maximum mandatum amoris Dei, ex cuius line omnes coeterae leges naturales practicae ab eo principiantur, (§. XIX.) ex omni parte consideratur, non videtur possibile, quomodo alius eiusdem finis ultimus deprehendi possit, quam ipse *Deus ab homine* secundum illius iussionem, et directionem *amandus*: Igitur idem etiam dicendum est de toto Jure naturae. Jam antea dictum est, quod Regulae, et rei regulabilis idem sit finis: Sed nemo dubitat, hominis ultimum finem esse *Deum ab ipso amandum executivae* per positionem actuum amoris: Igitur etiam nemini dubium sit, finem ultimum Juris naturae, seu regulae hominem regulantis, esse *Deum ab homine amandum imperativae*, et *directivae* per iussionem, et directionem legalem actuum amoris Dei. *Vniuersa propter semetipsam operatus est Dominus*. a) quaecumque operatus est: Omnium α , et ω , principium, et finis: b) Nec aliud quidpiam fieri, aut esse permittunt Bonitas, Sanctitas, Sapientia, Potestas, et Gloria Dei: Itaque Jus naturae, quod operatus est Deus, (§. V.) ultimum operatus est ideo, ut eius imperio, et *directione* ametur ab homine.

ultimus

§. XXIX. Duplici autem modo Deus est finis ultimus hominis, semel *absolute necessario*, et semel duntaxat *respectivae necessario*. Deus *ut Auctor naturae* ex naturalibus titulis creationis, conseruationis, dependentiae, et seruitutis nostrae est finis ultimus *absolute necessario* hominis, et omnium eorum, quae necesserario, et immutabiliter cum hisce titulis pro quolibet hominum statu, etiam naturalissimo, sunt connexa: Quia quemadmodum absolute repugnat, hominem in quocumque statu, etiam naturalissimo, posse creari, vel semel creatum posse in suo fieri, esse, et conseruari dependere finaliter ab alio, quam a solo Deo Auctore naturae, ita absolute impossibile est, hominem semel contingenter ex pura Dei gratia existentem, non esse ex his naturalibus titulis creationis, conseruationis, et dependentiae inredimibilem seruum, subditum, et debitorem suo Auctori naturae Deo, seu suo fini ultimo *absolute necessario* immutabiliter *obligatum*, ad habendam rectam constitutionem per debita officia charitatis erga Deum. Haec autem necessaria, immutabilis, et vniuersalis omnium hominum *obligatio*, si *actiue* spectatur, est *principiatiue* ipsissimum absolute necessarium, et immutabile, Jus naturae: (§. XIX.) Si *passiue* consideratur, sunt ipsamet officia nostra; exinde necessario, immutabiliter, atque vniuersaliter ab omni homine ideo Auctori naturae in quocumque statu naturae debita, quoniam illa *obligatio actiua* in quolibet statu naturae, aequaliter quoad substantiam, necessario, et immutabiliter ex, et cum dictis titulis quemlibet hominem insequitur, stringit, et vrget ad obseruandam praedictam obligationem *passiuam*. Itaque sicut hominis ita considerati *prosecutiue*, siue *adpetitiue*, sic etiam totius Juris naturae *imperatiue*, et *directiue*, siue *regulatiue*, et omnium officiorum inde debitorum *executiue* Deus

absolute
necessarius

a) Prouerb. 16. v. 4. b) Apocal. 1. v. 8.

Deus ab homine amandus est finis vltimus *absolute necessarius*. At contra Deus, vt *Auctor gratiae supernaturalis*, ex supernaturalibus titulis status naturae eleuatae, Redemptionis per Christum cet. est finis vltimus *respectiue* necessarius hominis, et omnium eorum, quae vel positue cum hisce titulis sunt connexa, vel saltem cum prioribus titulis naturalibus creationis, conseruationis cet. non sunt necessario, et inmutabiliter coniuncta. Talia sunt I. supernaturalitas status, gratiae, finis, et gloriae, atque actiones, siue officia hominis inde Deo, qua Auctori gratiae supernaturalis debita. Licet enim ista supernaturalitas cet. sit necessaria *respectiue*, respectu diuinarum Perfectionum Bonitatis, Potestatis, Sapientiae, Largitatis, et Gloriae hunc ter felicissimum statum naturae eleuatae pro nobis a Deo cum infinite necessaria perfectione, et infinite perfecta necessitate volentium propter Deum, nihilominus tamen ea non est necessaria *absolute*, et *inmutabiliter*, nimirum etiam ex parte hominis, et supradictorum titulorum naturalium; Quia enim homo secundum totum suum esse est res pure naturalis, hinc ista supernaturalitas ex parte ipsius hominis est pure contingens per gratiam, et nullo modo necessaria ex debito per naturam. II. Omnes omnino leges positivae, et officia inde debita: consilia omnia, et actus, vt vocant, supererogatorii, quia haec omnia sunt denuo ex parte hominis, et supradictorum titulorum naturalium mere contingenter aduentitia, vtpote sine quibus omnibus homo praedictam rectam constitutionem ex laudatis naturalibus titulis ad Deum suum *absolute* necessarium finem vltimum sufficienter habere posset. Vnde sicut hominis taliter in statu eleuato considerati *adpetitiue*, ita Juris positivi *imperatiue*, et *directiue*; consiliorum *consultiue*; officiorum denique siue actionum omnium, inde venientium *executiue*: Deus ab homine amandus ex tota mente est finis vltimus vt *respectiue* necessarius. Ex his iam clare habetur, quod, et quomodo nostrum principium Juris naturae intrinsecum speculatiuum, et practicum per *to fin m vltim m NB. absolute necessarium* (§. XIX. §. XXV.) omnes suas leges naturales, et officia inde debita, ex ipso fine vltimo distinguat a legibus positivis, consiliis cet. regulantibus hominem ad Deum finem vltimum NB. qua *respectiue* duntaxat *necessarium*.

debite
respicien-
dus.

§. XXX. Quamuis autem homo in statu naturae purae simul, et eleuatae existere nequeat, potest tamen in moderno statu naturae eleuatae simul, et semel vtrumque Jus, tam naturale, quam positium debite obseruare per gratias supernaturales Christi, atque mediante hac sola supernaturali obseruantia per rectam constitutionem respicere Deum suum finem vltimum *absolute* simul, et *respectiue* necessarium; Jus enim naturae obseruantiam suarum legum duntaxat praecipit, et vrget quoad substantiam, a modo autem eas obseruandi, vel per gratias supernaturales Christi in hoc statu eleuato, vel per gratias mere naturales Dei in statu naturae purae penitus praescindit, et totum hoc diuinae voluntatis sanctissimae dispositioni cum plenissima relinquit indifferentia. Quum autem ex lege positiva Gratiae certissime, et infallibiliter constet, quod nos omnes, et singuli a Deo sumus ordinati ad supernaturalia in statu naturae eleuatae, et propterea prorsus impossibile sit, sine fide, et gratia Christi Deo placere obseruantiam Juris naturae, hinc ex ipso hoc Jure naturae puris Deistis certam necessitatem deductiue ostendimus obseruandi Juris naturalis per gratias supernaturales in vera Christi Ecclesia.



VERA

CHRISTI ECCLESIA,

SELECTIS INLUSTRATA POSITIONIBUS EX VNIVERSA THEOLOGIA HISTORICO-- DOGMATICA.

STATUS VERAE CHRISTI ECCLESIAE.

DEUS hominem 1) plasmavit cum religione reuelata, 2) inventurum Messiam, 3) qui natus prope Bethlehem in suburbio, 4) Ecclesiam suam 5) supra Petrum aedificavit, 6) cum diuino successionis iure, 7) et quantocytus per Apostolos

1) Omnium hominum Protoplastes fuit Adamus.

2) Religio adamitica eadem quoad substantiam fidei in Christum fuit cum mosaica, et vtraque cum euangelica.

3) Prophetia S. Patriarchae Jacobi Gen. 49. *ŷ*. 8. per *Ducem* intelligit supremum Legislatorem: per *ŷceptrum* potestatem regiam: per *tribum Juda* hanc solam, et nullam aliam. Prophetia angelica Dan. 9. *ŷ*. 24. per *rebdomades* significat annos solares. Insistendo litterae S. Scripturae earum initium ducendum est indeterminate ab ipso sermone Angeli cum Daniele habito; determinate autem a Decreto Cyri Perfarum Regis Esdr. 1. *ŷ*. 1.

4) Aduentum Magorum in stabulo ad Messiam haud obscure S. Lucas insinuat, non contigisse ante purificationem B. V. Mariae.

5) Ecclesia Christi est vna, sancta, catholica, apostolica, visibilis, et indefestibilis.

6) Christus instituit D. Petrum cum praerogatiua potestatis Principem A-

postolorum, et supremum totius Ecclesiae suae Vicarium.

7) Quis legitimus, et indubitatus Papa vi Primatus a Christo instituti est in materiis fidei, morum, et disciplinae ecclesiasticae per totam Ecclesiam Pastor, Legislator, et Iudex supremus. Ad hunc vi Primatus exclusiue spectat ius legitima indicendi Concilia generalia; ea per suos saltem legatos necessariis gubernandi instructionibus, dissoluendi, et reprobandi, vel adprobandi: Vi huius Primatus denique solus Ipse est, ad quem ex toto orbe christiano in omnibus causis ecclesiasticis legitime potest appellari, ita, vt in suo arbitrio sit, an eas a prioribus Iudicibus praecipiat reuideri, aut in suo tribunali per constitutos a se novos Iudices, exclusis prioribus, iubeat terminari. Solus autem Ipse a nemine iudicari potest, quam a solo Deo, praeterquam in casu haecenus inaudito, certi, et manifesti lapsus in haeresin.

los 8) mirabiliter propagauit in orbe. Eam postea Episcopi 9) contra haereses, 10) et schismata, 11) sacris disciplinis, 12) varijs Concilijs ecclesiasticis, 13) ac mirabili tam ante, 14) quam post Constantini Magni 15) persecutiones 16) constantia illustra-

9) Jura Apostolatus exspirarunt cum morte Apostolorum. S. Petrus ultimo Romae Apostolicam erexit cathedram, ibique cum gentium Apostolo coronam martyrii obtinuit.

9) Episcopi sunt ex iure diuino successores Apostolorum in iurisdictione episcopali. Hanc a Christo per Romanum Pontificem obtinent, non vt Vicarii eiusdem, sed vt immediati Pastores, Iudices, et Principes suarum Ecclesiarum. Institutio Metropolitanarum est iuris humani, quoad substantiam ab ipso Ecclesiae exordio descendens.

10) Haereses Nicolaitarum Auctor fuit Nicolaus, vnus ex VII. Diaconis, quos Apostoli Act. VI. elegerunt.

11) Dissidia Quartodecimanorum, et Rebaptizantium temporibus Romanorum Pontificum Anacleti, Victoris, et Stephani non exarserunt usque in ipsum schisma.

12) Disciplina arcani temporibus Christi, et Apostolorum iam erat in vsu; Tempore persecutionum adcuratius obseruari coepit, maxime circa mysterium SS. Trinitatis, circa administrationem Sacramentorum, custodiam SS. codicum, et SS. imaginum venerationem: Nec solis ethnicis, et cathemenis, verum etiam ipsis initiatis rudioribus via tunc praecludebatur ad videnda, et audienda altiora fidei mysteria. Secundum aliam Ecclesiae disciplinam peccatoribus publicis publica inponebatur poenitentia: Acuebatur ea post Nouatiani haeresin per quatuor solennes gradus: Absolutio solennis, quae ordinarie differebatur usque ad finem gradus ultimi, non erat sacramentalis. Info-

lencia Libellatorum, et fraudulentia Sacrificatorum in extorquendis frequenter libellis a confessoribus, horumque indiscreta soepe in iis concedendis largitas grauius saluberrimam circa lapsos labefactarunt disciplinam: Sola supremorum Antistitum auctoritas, atque constantia suffecerat ad illam *fiuiciario* primum, dein *re. emitorio* decreto in ordinem redigendam.

13) Concilium Nicoenum generale I. intellexit S. Augustinus L.L. de Baptismo contra Donatistas. Canon III. huius Concilii nihil disposuit de coelibatu Clericorum. Canon VI. non meretur legi secundum versionem interpolatam Rufini: Pontifici Romano non denegat ius Primatus in vniuersam Christi Ecclesiam; et patriarchale, de quo solum loquitur, in eo subponit ad Ecclesias occidentales. Haeret aqua iis, qui Canonem III. IV. et VII. Concilii Sardicensis contra sensum clarum violentant ad sensum contrarium iuribus Primatus Sedis apostolicae. Concilium CPum I. contra Macedonium celebratum est generale ex gratia Romanae Ecclesiae: Eius Symbolo salubriter addita est particula *Filioque*: Canones condidit tres, nondum in Ecclesia solenniter, et expresse adprobatos. Secundus in fine nihil iuris confert, aut tollit Romano Pontifici.

14) Ex Philippis Imperatoribus neuter ad Baptismi gratiam peruenit.

15) Eusebius Pamphili exiguam meretur fidem, dum L. 4. de vita Constantini M. scribit, hunc christianissimum Imperatorem ad finem vitae suae baptizatum fuisse Nicomediae.

strarunt. His post Julianum Apostatam finitis expugnabantur Pelagiani, 17) Nestoriani, 18) Eutychiani, 19) et Monothelitae. 20) Ex tunc efflorescere coepit doctrina, et disciplina ecclesiastica de coelibatu Clericorum, 21) de cultu sacrorum imaginum, 22) et SS. Ecclesiae Sacramentorum. 23) Licet autem subsequenter saeculis apostolica Sedes violentis, etiam indignorum Pontificum 24) intrusionibus fuerit grauissime commota, nihilominus indefessa reformatio morum in Clero, 25) perpetua haeresum proscriptio, 26) efficax schismatum

tum

16) Propter vim, et dolum Liberius P. et PP. Ariminenses subscripserunt Formulis Arianorum, in sensu obuio catholicis. Nemo nobis persuadet, Felicem II. fuisse legitimum Pontificem, qui non demonstrat Liberii P. aut lapsum in haeresin, aut liberam Papatus cessionem.

17) Praecipua S. Augustinum inter, et Pelagium disputatio erat de gratia actuali, supernaturali, et interna ex parte voluntatis.

18) Tria famosa capitula propugnarunt haeresin Nestorianam, et ideo non abs re foepius fuerunt damnata.

19) Concilii Chalced. gen. IV. in quo haeresis Eutychiana fuit proscripta, Canon XXVIII. nullius unquam in Ecclesia fuit momenti.

20) Honorius I. doctrina quidem semper fuit catholicus; inprudens tamen, et ab ecclesiasticis regulis prorsus aliena dispensatione (*οικονομία*) iustum super manes suos et pluribus conciliis prouocauit anathema.

21) Patres concilii quini- sexti reprehendentes Can. XIII. disciplinam Ecclesiae Latinae circa coelibatum Cle-

ricorum, sibi ipsis contradicere conuincuntur ex Can. XII. et XLVIII.

22) Concilium Nic. II. generale VII. per errorem facti reprobatum fuit a Concilio Francofordiensi.

23) Albertinus la Roque, et Claudius impie orbi christiano inposuerunt, adferentes, doctrinam Paschasi Radberti de SS. Eucharistiae Sacramento fuisse nouiter inuentam.

24) Joannes XII. inualide depositus fuit, et Leo VIII. schismaticè subrogatus. Ex grauissimis testimoniis contra Ottonem Frising. compertum habemus, a Benedicto IX. per simoniam translatum fuisse Papatum in Joannem Gratianum, dictum Gregorium VI.

25) Impie traducitur S. Gregorius VII. a Magdeburgensibus ob restauratam in Clericis disciplinam coelibatus, iam antea in variis Ecclesiis sanctissime introductam.

26) Haeretici Albigenenses iusto bello expugnati sunt a Catholicis, et temporalibus poenis merito subiecti. Ordinationes, quae post schisma anglicanum fiebant secundum Rituale Eduardi VI., inualidae sunt.

tum subpressio 27) frequenti saluberrimorum Conciliorum celebratione, 28) et pastorali Romanorum Pontificum sollicitudine, atque auctoritate 29) feliciter effectae manifeste indicant, quod Christus Ecclesiae suae immobile centrum seruandae unitatis in doctrina fidei, morum, et disciplinae ecclesiasticae fixerit super Cathedram apostolicam, quam defacto felicissime tenet legitimus in terris Christi Vicarius SS. D. N. Pius VI.

27) Concilia Pisanum, et Constantiense a schismate vindicamus, et inter Oecumenica numeramus: Neutrum ex ipsis adferuit superioritatem Concilii generalis supra Papam indubitatum.

28) Instructio ad Armenos data ab Eugenio IV. non est decretum Concilii generalis Florentini. Celeberrimum est Concilium generale Tridentinum.

29) Bulla S. Pii V. *Ex omnibus afflictionibus*. vna cum famoso suo *comate* authentica est, non minus, quam altera Vr-

bani VIII. *In eminenti*. Bulla *Vnigenitus*. lex dogmatica est, non mere pollitica, et disciplinaria. His, aliisque constitutionibus Romani Pontifices damnarunt propositiones baianos omnes, etiam eas, quae nullam adnexam habent censuram, et quidem singulas propter doctrinam erroneam: Item quinque propositiones Jansenii, vna cum famoso casu conscientiae. Vnde ex istis omnibus nulla deinceps in sensu Auctoris poterit sustineri.



DOCTRINA VERAE CHRISTI

ECCLESIAE.

DEUS in essentia unus, ¹⁾ et in Personis trinus: Pater, Filius, et Spiritus sanctus ab utroque procedens, ²⁾ est Ens a se infinite perfectum, ³⁾ Creator omnium, ⁴⁾ Finis ultimus supernaturalis angelorum, et hominum: ⁵⁾ Non tantum legis naturalis, ⁶⁾ verum etiam positivae, tam scriptae, quam traditae, prout eam authentice proponit Ecclesia, maxime in Tridentino Sessione quarta, ⁷⁾ supremus Legislator, a quo omnes Legislatores humani, ecclesiastici in ecclesiasticis, ⁸⁾ et saeculares in saecularibus ⁹⁾ materiis, vult mali, potestatem habent ferendi leges in conscientia obligantes ad servandam iustitiam:

10)

1) Existentia, et unitas Dei argumentis evidentibus possunt demonstrari. Intellectus creatus rite dispositus concedit dari in Deo productionem ad intra.

2) Spiritus sanctus distinguitur a Filio, quia est procedens ab utroque.

3) Diuinae perfectiones quemadmodum in essendo, ita etiam in operando tam ad intra, quam ad extra infinite concordant.

4) Angeli sunt spiritus sine materia corporea creati. Adamus extra, Eua intra Paradisum conditi sunt;

5) Ambo autem, sicut Angeli cum auxiliis supernaturalibus. Unde statum naturae purae absolute negamus; eleuationem tamen Angelorum, et Hominum ad finem ultimum supernaturalem profiteamur esse donum Dei

singulare, indebitum, et ex parte eorum pure contingens.

6) Videatur Dissertatio de Jure naturae.

7) Vtrumque Verbum Dei, ita authenticatum, infallibile Theologo praebet argumentum; Tetrapla autem, Hexapla, et Octapla Origenis, aliaque apographa, siue hebraica, siue graeca ad inuestigandum sensum S. Scripturae perfoepe sunt vtilia, nunquam autem ad infallibiliter probandum.

8) Huc exclusiue pertinent leges impedimentorum dirimentium Sacramenti Matrimonii.

9) Ante omnem sententiam Iudicis tam ciuilitate, quam naturaliter obligant Leges iustorum tributorum: Leges ipso facto irritantes actum ob omisam praescriptam formam *sine qua non*: Leges in quibusdam contractibus, obli-

10) Misericordissimus Largitor gratiarum 11) erga omnes: 12) justissimus meritorum retributor, 13) et peccatorum vindex. 14) Vbi autem venit plenitudo temporis, misit Deus T. O. M. Filium suum vnigenitum, promissum Patribus in Lege Messiam, JESUM NAZARENUM, qui ex Deipara Virgine Maria 15) natus, vnus est Christus non confusione substantiae, sed vnitate Personae diuinae, et in ara crucis Sacerdos simul, et Victima catholicam in sanguine suo fundauit Ecclesiam, 16) extra quam nemo saluatur. In ea ordinauit Hierarchiam ecclesiasticam, in qua Episcopi iure diuino sunt Presbyteris superiores. Huic

Eccle-

gantes ob solam culpam iuridicam, etiam leuissimam: non item proprie poenales.

10) Vna est inter homines Iustitia: Secundum hanc pro vtroque foro in Ba-uaria inuentor, seruatis seruandis, ex titulo praescriptionis acquirit dominium rei inuentae: contra eam autem peccant feripetae venando, qui neque feram, quam tali venatione iniusta occupant, faciunt suam.

11) Gratia sanctificans non differt a charitate theologica habituali: Ex gratiis actualibus sufficientes manent pure sufficientes cum nostro libero dis-sensu, et econtra cum nostro libero consensu fiunt efficaces.

12) Paruulis etiam in vtero materno existentibus praeparatam a Deo esse gratiam sufficientem, equidem fide certum tenet Ecclesia, at illam esse internam ex parte intellectus, aut voluntatis, nullum prorsus in Verbo Dei scripto, et tradito, aut in sana Theologia vestigium apprehenditur.

13) Absque acceptione Personarum, et praedicio libertatis creatae facta est praedestinato ad gloriam cum meritis, et reprobatio ad poenam cum demeritis. Ex gratia actuali peccator mereri potest gratiam primam de congruo. Retributio meritorum in coelis fit per visionem intuitiuam, et amorem fructiuum.

14) Peccatum actuale Adae praeteritum moraliter perseuerat in posteris, ad quos via generationis naturalis propagatur, estque ipsum peccatum originale: Peccata actualia distinctionem specificam, vel numericam defumunt a priuatione reſtitutionum ex lege debitarum, specie, vel numero diuersarum. Vindicat Deus peccata in altero mundo aeterno igne infernali, quo spiritus damnati per duplicem adligationem cremantur.

15) B. V. MARIA immunis fuit ab omni labe, et debito peccati originalis.

16) Regimen Ecclesiae est monarchicum.

Ecclesiae suae suorum reliquit meritorum thesaurum, vnde legitima Indulgentiarum concessio, et septem Sacramenta, quae ipse instituit, 17) Baptismus, 18) Confirmatio, 19) Eucharistia, 20) Poenitentia, 21) extrema Vnctio, 22) Ordo, 23) et Matrimonium. 24)

17) Christus immediate per se ipsum omnium Sacramentorum materiam determinavit in infima specie.

18) Conuenienter baptizantur infantes in vtero materno existentes, si aqua ad eos immediate deferri potest.

19) Materia Confirmationis est manus inpositio, a chrismatione indistincta.

20) Communio sub vna specie per se tantum praestat, quantum sub vtraque. Essentia sacrificii Missae consistit in sola consecratione.

21) Adtritio ex motiuo initialis amoris

Dei super omnia procedere debet, vt sufficiat cum Sacramento ad iustificationem. Materia necessaria sunt etiam circumstantiae notabiliter intra eandem speciem adgrauantes: item peccata dubia.

22) Videtur, quod Sacramentum extremae Vnctionis aliquando ex vi suae immediatae institutionis conferat gratiam primam.

23) Subdiaconatus nullum: Episcopatus distinctum a Presbiteratu est Sacramentum.

24) Minister Sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes.



Differtatio de Jure naturae cum adnexis Positionibus Theologicis non repugnat sanae fidei, et bonis moribus. Hinc defendi publice, et typis inprimi potest. Ita censet Consist. Episcopale Ratisb. in Sessione habita 20, Jun. 1776.

(L.S.)

Joseph Reinfeld
SS. Th. Doct. Secret.



